

pi fieri potest. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 6.* non solum auctoritate Magistratus Sæcularis, quæ ad res spirituales, finem super-naturalem respicientes, non extenditur. *c. 7. c. 10. de Constitution.*

TIT. XXXI.

De Regularibus, & transeun-tibus ad Religionem.

289 **D** Hieronymus in C. Duo sunt, tianorum in duas partes divisit. In Clericos, scilicet, & Laicos, nomine generali Clericorum, Religiosos comprehendens, prout hi à Laicis, id est, Sæcularibus contradistinguntur. Idem fecit Rex noster Alfonso in princip. tit. 7. p. 1. ibi: *Et estos a tales son llamados Religiosos, por que cada uno de ellos han reglas cierta, por que han de vivir, segun el ordenamiento que ovieren de Santa Eglefia en el comienzo de su Religion, è por onde son contados en la Orden de la Clerecia.* Et in l. 1. ejusd. tit. dicit, quod appellantur Religiosi, quasi religati: quia se ipsos obedientie voto ligant. In præcænti ergo Religio sumitur pro statu Religioso, hoc est, pro quodam stabili vivendi modo in communi, quo fideles votis emissis paupertatis, castitatis, & obedientiæ ad Chri-stianam tendunt perfectionem, juxta statuta approbata ab Ecclesiâ. Aliquando etiam in latiori significatione Religio significat omnium fratrum congregationem. Aliquando presertim sumitur pro virtute, qua cultus Deo debitus exhibetur. In Jure verò Civili Religiosum dicimus locum, in quo aliquis homo sepelitur. §. 9. *Instit. de Rerum divors. Regulares* appellantur Religiosi, quia juxta regulas vivunt. Ad Religionis essentiam varia requiruntur. 1. Observatio trium Consiliorum Evangelij, castitatis videlicet, paupertatis, & obedientiæ. *c. 6. in fin. de Stat. Monach. c. 22. h. t. l. 2. tit. 7. p. 1.* nam in his consistit perfectio juxta illud Christi Dominum apud *Matth. 19. v. 21. Si vis perfectus esse, &c.* ad perfectionem igitur atque admodum debent Religiosi ex lo-stu statu aspirare: & licet sit necessarium, quod quælibet Religio tribus, prædictis con-ter votis, tamen plures sunt Religionis, quæ quartum votum peculiariter insuper addunt, ut Mercenarij, Mimimi, & nostræ Societatis Profesi. Præter dictos Religiosos, votis Religionis ligatos, solent admitti tam in Monasterijs virorum, quam femi-

narum quidam Fratres, qui habitum Reli-giosum cum aliqua levi immutatione in-duunt, sed nulla emittunt vota, & nun-cupantur oblati, seu commissi. *Hispaniè*, di-cimus: *Donados*. Hi enim Religiosi non sunt, cum nullis votis adstringantur, ha-bentur tamen pro personis Ecclesiasticis, quoad privilegium Canonis. *Machad. in Sum. lib. 5. p. 4. tr. 3. Ponce de Matrim. lib. 9. cap. 8. n. fin. Conversi tamen, Hispaniè: Legos*, verè Religiosi sunt, cum verè vota emittant. Sed quia hæc nomina converso-rum, & oblatorum non eodem modo in omnibus Religionibus accipiuntur, de ip-sis juxta cujusque vocabularium philolo-phandam erit. *Vid. Caramuel in Theolog. Regul. Ponce, & alios. 2. Ad Religionem* est necessarium, quod observatio talium Consiliorum perpetua voti obligatione firmetur. *l. 2. tit. 7. p. 1. D. l. bono. 2. 2. q. 186. art. 6.* quia status dicit perpetuitatem, & regulariter ex parte utriusque, tam scilicet Religionis, quam voventis, arg. *c. fin. h. t. l. 3. tit. 7. p. 1.* vel saltem ex parte voventis, licet Religio non ha-beat absolutam obligationem Religiosum perpetuo retinendi: ac proinde vota so-lennia non sunt de essentia Religionis, ut patet in emittentibus vota in nostra Socie-tate post biennium, qui verè Religiosi sunt, quin vota emittant solemnia, & cum obligatio sit mutua: quia licet ipsi non possint deserere Religionem, tamen à Re-ligione possunt utique dimitti, justa causa hoc suadente: ut declaratum est à *Julio III. Gregor. XIV.* & afferunt latius *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 14. n. 12. Sanchez in Decal. lib. 5. cap. 1. n. 26. & alij.* Nec ipsis fit in hac dimissione injuria, cum ab ipsis hoc pactum in ingressu acceptetur, & contractus à voluntate contrahentium Legem accipiant. *l. 23. ff. de Regul. jur. & scientiis, & consentientis non fit injuria, neque dolus. c. 27. de Reg. jur. in 6. Gonz. in c. 9. h. t. n. 6.* ubi notat, quod olim non statim ac vota emittentibus in Re-ligionibus antiquis, oriebatur mutua obli-gatio ex parte utriusque, sed alia, & aliæ probationes, sicut in nostra Societate, fie-bant. 3. Requiritur, quod hæc vota emittantur in aliqua Religione, necessario, ut tali approbata. *l. 2. tit. 7. p. 1.* nec sufficit, quod modus vivendi approbetur, ut pius. Et quidem antè Concilium Lateranense Episcopi auctoritas ad Religiones appro-bandas sufficiebat. *c. 10. c. 16. 18. q. 2.* & sic approbata fuerunt Religiones Ss. Basili-j, Augustini, & Benedicti, ut probat *Ponce de Matrim. lib. 7. cap. 11. n. 4.* sed poi-

postea ob gravitatem materia Summo Pontifici est reservata Religionum appro-batio. *c. fin. de Religios. domib. c. un. eod. in 6. 4.* Requiritur ad Religionem, quod talis Religiosus sub alicujus superioris Ecclesiastici jurisdictione constitutatur, qui quidem per se, vel per alium talia vota acceptet, possitque talem Religiosum ad regulam, & disciplinam regularem obser-vandam cogere, & potestatem clavium in ipsum exercere. *c. 13. h. t. l. 2. tit. 7. p. 1.* Nec tamen ex natura status Religiosi requiritur vita communis: nam antiquitus Religiosi erant Anachoretæ, & etiam ali-quæ virgines, & viduæ Religionis statum profitebantur, quin vitam agerent com-munem. Hæc namque non est necessaria ad vitæ perfectionem, quæ quidem in ob-servatione votorum consistit. Nec item requiritur ad statum constituendum, qui facit consisti in vita stabilitate firmata per votorum emissionem. Hodie tamen omnes Religiones vitam communem profitentur. *l. 1. tit. 7. p. 1. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 4.*

290 Audiamus Divum Thomam opti-mè, pro suo more, hæc declarantem. *2. 2. q. 186. art. 7. in corp. Religionis status* con-sideratur secundum, quod est quoddam ho-locaustum, per quod aliquis totaliter se, & sua offert Deo, & secundum hoc ex his tribus votis integratur Religionis status. Pri-mo enim quantum ad exitium perfectionis requiritur, quod aliquis à se removeat illa, per quæ possit impediri, ne totaliter ejus affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio charitatis. Hujusmodi autem sunt tria. 1. quidem cupiditas exteriorum bono-rum, quæ tollitur per votum paupertatis. Secundum autem est concupiscentia sensibili-um delectationum, inter quas præcelsunt delectationes venere, quæ excluduntur per votum continentie. Tertium autem est in ordi-natio voluntatis humane, quæ excluditur per votum obedientiæ. Similiter autem soli-tudinis Sæcularis iniquitudo præcipue in-geritur homini circa tria. 1. quidem circa dispensationem exteriorum rerum: & hæc sollicitudo per votum paupertatis homini au-ferretur. 2. circa gubernationem uxoris, & filiorum: quæ amputatur per votum conti-nentie. 3. circa dispositionem propriorum actuum: quæ amputatur per votum obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni com-mittit. Similiter, & holocaustum est cum aliquis bonum, quod habet, offert Deo, ut Greg. dicit super Ezechiel: *habet autem ho-mo triplex bonum, secundum Philosoph. 1. Ethic. Primo quidem exteriorum rerum,*

quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntaria paupertatis. Secundum au-tem bonum proprii corporis, quod aliquis præcipue offert Deo per votum continentie, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est anima, quod aliquis totaliter Deo offert, per obedi-entiam, quæ aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentijs, & habitibus animæ: & ideo con-venienter ex tribus votis status Religionis integratur. Et *2. 2. q. 186. art. 6. in corp. ait: Dicendum; quod ad Religiosum pertinet, quod sint in statu perfectionis: ad sta-tum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea; quæ sunt perfectionis 3. quæ quidem Deo fit per votum: manifestum est autem, quod ad perfectionem Christianæ vitæ pertinet paupertas, continentia, & obedientia: & ideo Religionis status requirit, ut ad hæc tria aliquis voto obligetur.*

291 Satus quidem religiosus, quoad substantiam, & tria consilia Evangelica, institutus est à Christo Domino in Lege Gratiæ, atque ita potest dici, esse de Jure Divino: non quidem præcipientem, sed tan-tum consulente. Nam 1. votum Obedien-tiæ ab ipso consultum fuisse constat, quan-do dixit apud *Matth. 16. v. 24. Qui vult venire post me; abneget semetipsum, & tol-lat crucem suam, & sequatur me. 2. votum* Castitatis constat ex eo; quod dixit apud eundem, *cap. 19. v. 12. Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cælorum: &c.* & votum Paupertatis paulo inferius constat *v. 21.* quando dixit: *Si vis perfectus esse vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo.* At verò quoad modum peculiararem, & regulam vivendi, Juris sanè Ecclesiastici, est Religiosus status, & quidem adeo pendet ab Ecclesiâ approbatione Religionum institutio, ut sine ea nullus Ordo Religio-sus subsistat. *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3.* & est omnium Catholicorum sententia, teste *Suar. de Relig. t. 3. lib. 3. c. 2.* Apo-stolos quidem verè Religiosos fuisse tribus prædictis votis adstrictos, docent *com. DD.* Religionisque statum vovisse, quando re-lictis omnibus secuti sunt Christum, *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 3. cap. 2. n. 8. Ponce de Matrim. lib. 7. cap. 2.* ubi hoc varijs Patrum testimonijs probat, & illustrat. Et hi fuerunt primi Legis Gratiæ Religiosi. Omnes certè Christiani debeat tenere, uniusquique juxta suum statum, ad Chri-stianam perfectionem, quæ essentialis dicitur, & est simpliciter necessaria ad vitam spi-

spiritualem animæ, juxta illud Christi Domini apud *Matth. 5. v. fin. Estote ergo vos perfecti*: nec aliter potest quis vitam æternam, & gloriam obtinere. Hæc enim perfectio consistit in Mandatorum Legis observatione ex ipsius Christi testimonio. *Matth. 19. v. 17. Si vis ad vitam ingredi serua mandata*: & in talis Legis violatione stat animæ spiritualis mors, juxta illud: *Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem*. Sed ultra prædictam perfectionem omnibus Christianis communem, & necessariam datur alia perfectio, quæ est ad melius esse, & simpliciter appellatur *perfectio*: nam ultra præceptorum observationem, insuper addit observationem consiliorum Evangelij. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 1. cap. 10.* Religiones quidem sunt in triplici differentia. Nam alæ proficiuntur *vitam activam*, quæ consistit in exercitio operum misericordiæ temporalium, & spiritualium, ut Religiones Militares, & Hospitalariæ. Alæ *vitam contemplativam* proficiuntur, & ex suo instituto Divinæ contemplationi, & orationi vacant: ut Religiones Monastica SS. Basilij, Benedicti, Bernardi, Carthusianorum, &c. & hæc vita contemplativa est priori perfectior, juxta illud Christi Domini apud *Luc. 10. v. fin. Maria optimam partem elegit*. Alæ denique proficiuntur *vitam mixtam*: quia utriusque æqualiter incumbunt, ut Religiones SS. Augustini, Dominici, Francisci, Societatis, & similes: & hæc est duabus prioribus perfectior. *D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 6. in corp. ibi: Sicut enim majus est illuminare, quam lucere Solem: ita majus est contemplata alijs tradere, quam solum contemplari*. Sic ergo summum gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum: quæ propinquissima sunt perfectioni Episcoporum. Præterea ex his Religionibus, alæ sunt *Monachales*, alæ *Clericales*, alæ *Mendicantes*, alæ *Hospitalariæ*, & *Militares* alæ. *Monachales* sunt, quæ principaliter vitam contemplativam, & solitariam proficiuntur. *e. 4. c. 5. 16. q. 1. ubi dicitur: Monachus non docentis, sed plangentis habet officium. Si cupis esse, quod dicitis, Monachus, id est, solus, qui factus in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum. Monachi etiam Eremitæ dicuntur, quia in Eremo debebant, licet Eremitæ propriè Monachi non essent. Nunc tamen in favorabilibus nomine Monachorum omnes Religiosi, etiam non Monachales continentur. Clericales sunt, quæ principaliter ministerijs spiritualibus vacant, ut nostra Societas. *Trid. sess. 25. de**

Regul. cap. 16. & alia. Mendicantes sunt, quæ vitam mixtam proficiuntur, clemosynis fidelium vivunt, & ex suo instituto possessionem immobilium excludunt. Tales sunt Religiones SS. Dominici, Francisci, Augustini, & Carmelitarum. *e. un. §. Sanè, de Religios. domib. in 6. Societas nostra, etiam quoad Scholasticos, & alia, ex diversorum Pontificum concessione. Hospitalaria* sunt, quæ primo ad hospitalitatis exercitium, peregrinos recipiendos, & infirmos curandos ordinantur, ut sunt Religiones S. Joannis de Deo, S. Hipolitij, & alia hujusmodi. Præterea, conveniens est, aliquas Religiones institui, quæ studio bonarum Artium, & Scientiarum vacent: quia studium illuminat, prodeleque ad contemplandum, removetque errores, qui in contemplatione Divinorum frequenter accidunt his, qui Scripturas ignorant. Deinde: studium est necessarium ad prædicandum, & alia hujusmodi exercenda: unde Apostolus dicit ad Titum de Episcopo, ad cujus officium hujusmodi actus pertinent: *Amplèctentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, contradicunt arguere*. Etiam studium litterarum Religioni congruit, quantum ad id, quod est omni Religioni commune: valet enim ad vitandam carnis lasciviam: unde & Hieronym. dicit ad Rusticum Monachum: *Am scientiam scrip.urarum, & carnis vitia non amabis*. Sic *D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 5. in corp. Et ipse art. 3. ait: Potest officium militare ordinari ad subventionem proximorum, non solum quantum ad privatas personas, sed etiam quantum ad totius Reipublice defensionem: unde de Juda Machabæo 1. Machab. 3. dicitur: quod præliabat prælium Israel cum latitia, & dilatavit Populo suo gloriam. Ordinari etiam potest ad conservationem Divini cultus: unde ibidem subditur, Judam dixisse: Non pugnabimus pro animabus nostris, & Legibus nostris. Et infra 13. dicit Simon: Vos scitis, quanta Ego, & fratres mei, & domus, Patris mei fecimus pro Legibus, & Sanctis prælia. Undè convenienter potest institui aliqua Religio ad militandum, non quidem propter aliquid mundanum, sed propter defensionem Divini cultus, & publicæ salutis, vel etiam pauperum, & oppressorum. secundum illud Psalmi 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberatè. Et sic in nostra Hispania instituti sunt Ordines Militares S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ: quorum nostri Catholici Reges ex concessione Pontificia sunt perpetui Magistræ, alia-*

aliæque plures Religiones Militares alibi sunt institutæ. In his igitur Religionibus summum gradum tenent, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum: secundum verò, quæ ad contemplandum: tertium autem, quæ ad opus extrinsecum ordinantur. Et in singulis præminent, quæ sunt ad altiore actum in eodem genere, vel ad plura, vel quæ habent statuta convenientiora ad suum finem consequendum: non autem, quæ est arctior. Religio enim principaliter est melior, cujus finis est potior, id est, ad majus, vel ad plura: secundario autem, quæ melius proportionatur fini. Religio autem tanto perfectior est secundum paupertatem, quanto habet eam magis proportionatam suo fini: adeo ut Religio ordinata ad actiones corporales esset imperfecta, si careret divitijs in communi. Religio solitaria est perfectior, quam Socialis, sed est periculosissima imperfectis. Quæ omnia asserunt *D. Thom. Suar. & com. DD.*

292 Ad Religionem igitur potest quis transire, vel per novitatum, vel per professionem. Nullus tamen tenetur Religionem ingredi, nisi ad hoc voto se obligarit: hic enim status ob ejus arduitatem, non præcepti, sed tantum consilij est. *Matth. 19. v. 21. Si vis perfectus esse. c. 1. h. t. ibi: Nullus tonsatur, nisi in legitima atate, & spontanea voluntate. Et Trid. sess. 25. de Regul. cap. 18. excommunicat eos, qui fecerint invitam Religionem ingredi cogunt. Possunt tamen Religionem ingredi omnes Christiani, qui specialiter non prohibentur: nam quilibet potest ad Christianam aspirare perfectionem. Et quamvis filij ex honestate debeant parentum licentiam requirere, non tamen est necessarium: quia in hoc liberum habent arbitrij sui usum, & in electione propositi, hoc est, status, sequi parentum non coguntur voluntatem. *c. 11. h. t. nam ut noster Salvator dicit apud Luc. 14. v. 26. Qui non odit patrem, & matrem, (intellige, quando impediunt salutem æternam, vel Dei facere voluntatem) non potest meus esse Discipulus: & tunc percalcandus est pater, nam genus pietatis est hac in re esse crudelem, teste D. Hieronym. in Epist. ad Heliodor. Qui enim sic à Deo vocantur, & à parentibus, vel cognatis impediuntur, possent ipsis dicere, quod olim Petrus, & Joannes dixerunt Scribis, & Sacerdotibus, *Act. 4. v. 19. Si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum judicate*. Prohibentur autem Religionem ingredi. 1. Furiosi, infantes, &**

amentes ex defectu consensus. *c. 15. h. t. 2. Liberi, quando eorum parentes constituti sunt in extrema, vel gravi necessitate. c. 1. D. 30. si filij postunt eorum succurrere necessitati: secus est, si non possint: vel aliunde ipsi filij periculum proximum peccati timerent: nam tunc non debent disferre ingressum. Si fratres, vel forores extremam paterent necessitatem, si eorum frater Religionem ingrederetur, tenetur ingressum disferre: si tantum gravem, potest disferre ingressum, sed non semper tenetur. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. c. ap. 6. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 20. n. 30. 3. Parentes debent ab ingressu abstinere, quando eorum opera indigent filij, quos alere, & educare tenentur. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 6. ex n. 1. D. Thom. D. Anton. & alij. 4. Servi ex defectu libertatis, si non accedat Domini consensus, illicite Religionem ingrediuntur, & à Domino intra triennium, cum omnibus, quæ ad Monasterium detulerunt, repeti valent: sed in restitutione, fidem Domini facient, quod illos non puniet ob talem ingressum: & etiam si servi in Monasterio remaneant, eo quod intra triennium non sunt repetiti, tamen ab ipsis Monasterio allata Domino restituantur. *c. fin. 17. q. 2. L. 6. tit. 7. p. 1. Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 42. & alij.***

293 5. Religionem ingredi nequeunt criminosi, quibus, scilicet, imminet poena mortis, fustigationis, exilij, vel alla similibus eos infames reddens. 6. Obnoxij reddendis rationibus ex quacunque administratione, donec rationes reddant. *c. un. D. 53. ex Consi. Sixti V. Cum de omnibus. 1558. qui illegitimos, criminosos, vel suspectos de crimine, & obnoxios reddendis rationibus inhabiles ad Religionem declaravit. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 7. ex n. 15. 7. Magno ære alieno gravati, si manentes in saculo sperent, posse creditoribus satisfacere: tunc enim, etiam post biennium, debent ingressum disferre: nam obligatio solvendi debita, præcipiè orta ex contractu oneroso, vel delicto, & non ex mera liberalitate donatoris, cum Juris Naturalis sit, consilij utriusque præferenda est. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 7. n. 2. Less. & alij.* Et quamvis professio debitoris non solventis illicita sit, valida tamen est ex *Consi. Clem. VIII. Nec tunc tenetur professus bona querere, ut creditoribus satisfaciat, siquidem ipse non creditorum, sed Religionis est. Sanch. in Decalog. lib. 4. cap. 19. n. 14. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 41. n. 32. Sylv. & alij con-**

tra *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 10. n. 7.* Constitutio tamen Sixti V. postea fuit per *Clem. VIII.* moderata, quoad hoc, ut professio hominis criminosa, sive aere alieno gravata, valeat, quamvis illicita sit: nec dicta Constitutio Sixti V. comprehendit Moniales. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 7.* potest autem sic gravatus Religionem ingredi, si non speret, posse solvere, etiam in seculo maneat; *arg. c. 16. de Resit. spoliator.* cum frustra expectetur eventus, cujus nullus futurus est effectus. Etiam ingredi valet, si creditores consentiant, vel ipse bonis cedat in creditorum favorem, vel si debita sint incerta. 8. Coniux nequit Religionem ingredi sine alterius conjugis consensu, vel si non sequatur perpetuum divorcium. *c. 3. c. 12. de Convers. conjugator.* 9. Episcopus consecratus, vel saltem confirmatus, etiam Titularis, & etiam relegatus, sine licentia Papae non potest, etiam praetextu ingrediendi Religionem, suam deserere Ecclesiam propter vinculum spiritualis matrimonij, *c. 18. b. t. c. 2. de Translat. Episcop. c. 10. de Renuntiat.* nec aliter valet professio. *L. 9. tit. 7. p. 1.* Et solum potest talis licentia peti, & tantum solet, & debet concedi, ex causis contentis in *c. 10. de Renuntiat.* scilicet ex debilitate corporis, defectu scientiae, conscientia criminis, malitia plebis, scandalo populi, vel irregularitate personae; ex alijs causis non solet huiusmodi licentia concedi. *D. Thom. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 1. cap. 20. n. 7. & alij.* Episcopus tantum electus, vel qui legitime Episcopatu renuntiavit, potest etiam sine Papae licentia Religionem ingredi, quippe nullo vinculo detinetur. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. c. 8. n. 1.* Si vero Episcopus confirmatus sine Papae licentia Religionem profiteatur, quamvis illicita sit talis professio, quia prohibita in *c. 2. de Translat. Episcop.* valida tamen erit, siquidem nullo iure irritatur: non tamen habebit effectum dissolvendi vinculum inter Episcopum, & Ecclesiam. Sic contra alios *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 8. ex n. 7.* Parochi, & alij Clerici, quamvis sine licentia Episcopi Religionem ingredi possint. *c. 19. q. 1. l. 9. tit. 7. p. 1. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 4. n. 14.* debent tamen saltem post ingressum Episcopum movere, ut de alio Parocho, vel Beneficiario provideat. 10. Qui legitima aetate carent ingredi nequeunt Religionem. Et quidem iure antiquo Masculus 14. aetatis, & femina 12. poterant Religionem profiteri. *c. 8.*

c. 11. c. 12. b. t. c. 2. eod. in 6. l. 4. tit. 7. p. 1. sed hodie ex *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 15.* Nec mas, nec femina possunt ante decimum sextum annum expletum valide in Religione profiteri. In ordinibus autem Militaribus, qui hoc Decreto non comprehenduntur, solet emitti professio post decimum tertium annum. Novitatus tamen etiam hodie completo decimo quarto anno potest inchoari. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 22.* in nostra Societate Provincialis nullum ad novitatum valide admittere potest ante decimum quintum annum completum sine dispensatione Generalis, qui solus potest admittere Novitios ante decimum quintum, vel post quinquagesimum annum completum. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 26.* Jure antiquo, quod hodie jam non servatur, in insulis nemo ad professionem ante decimum octavum annum inchoatum, admittebatur, quia ibi durior, & difficilior considerabatur habitatio. *c. 6. b. t. Praterea:* antiquitus solebat Pater, vel Mater, etiam patre vivente, filios impuberes, etiam infantes, Religioni offerre, ubi habitum induebant, & praterea oblati dicebantur. *c. fin. 20. q. 2. & licet aliquomodo Religiosi dicerentur. c. 3. 20. q. 1.* verè tamen tales non erant, quippe vota Religionis substantialia non emittebant, tam ex defectu discretionis, quam ex defectu probationis austeritatum, praecipue castitatis. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 24.* ita tamen oblati, sive invitati, sive volentes oblati fuerunt, olim non poterant sine infamia egredi de Monasterio. Hodie tamen post pubertatem, secus ante eam, liberum est ipsis egredi, nisi forte suam oblationem expresse, vel tacite ratificaverunt. *c. 14. b. t. l. 4. tit. 7. p. 1.* Sed hodie talium oblationum, vel nullus, vel rarissimus usus est.

294. Ante professionem debet professio Novitatus praecedere, ut possit Novitius regularem disciplinam experiri, & vicissim possit Religio probare, an ipsi futurus sit idoneus ille Novitius. Tempus Novitatus antiquitus erat arbitrium, aliquando quidem biennium requirebatur, ut in *c. 6. 19. q. 3.* aliquando autem triennium, ut in *c. 11. D. 53. c. fin. 17. q. 2.* postea vero aetate fuit ad probationem, & Novitatum statutus. *c. 1. 17. q. 6. c. 16. b. t. c. 2. eod. in 6. l. 3. tit. 7. p. 1.* & olim quidem poterat renuntiari consensu Novitij, & Praetorum. *c. 16. b. t. l. 3. tit. 7. p. 1.* sed ex *Trid. sess. 25. de Regal. cap. 15.* hac renuntiandi facultas sublata est, & annus a momento in momentum computatur.

tandus est: nec sufficit, quod annus probationis, & aetatis sunt moraliter integri, sed debent compleri de momento ad momentum: itaque qui hora decima Matutina diei est admittus anno sequenti post eandem horam completam, & non ante, potest professionem emittere. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 15. n. 1.* & colligitur ex *Trid. sess. 25. de Regal. c. 15.* Commendatarij Monasteriorum, qui capita, ac primates ordinum sunt, debent intra sex menses profiteri, aut cedere commendae. *Trid. sess. 25. de Reg. c. 21.* in Ordinibus Militaribus, cum in *Trid.* non censentur comprehensi. *Sanch. in Decal. lib. 5. c. 4. n. 17.* nondum expleto anno potest fieri professio. In nostra tamen Societate ob arduitatem ministeriorum, quae viros undique probatos, & in virtutibus exercitos requirunt, biennium Novitatus, & probationis est adeo necessarium, ut solum Generalis valide possit in illo dispensare. *Sanch. in Decal. lib. 5. c. 4. n. 20.* Insuper annus Novitatus debet esse continuus, ita, ut si Novitius, quatuor mensibus expletis exeat, & postea rursus ingrediatur, debet de novo annum inchoare dummodo non tantum habitum exuisset: v. g. de licentia Praelati, sed verè illum dimisisset, animo non amplius illum induendi: & quidem dimissio debet esse perfecta, & consummata, & cum talis sit, etiam modico intervallo facta Novitatum interrumpit. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 15. Sanch. in Decal. lib. 5. c. 4. ex n. 31. & alij.* sic proprie est intelligendum. *Trid. sess. 25. de Reg. c. 15.* requirens annum integrum ad die susceptionis habitus, vel ingressus.

295. Novitius tamen in ultima aegritudine constitutus, etiam ante annum completum, potest dari professio solemnis, saltem ad lucrandas indulgentias, ex privilegio Pontificis varijs Religionibus concessio, imò, & Sæcularibus in propria domo degentibus, posse professionem dari in articulo mortis, varijs item Religionibus concessum est, pro quo tamen cujuslibet privilegia consideranda sunt. *Gonz. in c. 16. b. t. n. 2. Barb. in Trid. sess. 25. cap. 15. de reg. Lacr. Theolog. Moral. tit. de statu Relig. l. 4. n. 16. & 17. alij.* Videant tamen Superiores ne reprehensione fiant digni sicut illi qui in *c. 16. b. t.* indiscretè, & sine debita facultate aliquos ad professionem admittebant. *Qui vero post expletum Novitatum tempus, egressus est ante professionem, si postea iterum recipiatur non debet Novitatum repetere, nisi aliqua notabilis mutatio ex parte Novitij, vel Religionis quoad asperitates contigerit. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 34.*

alios citans, nec item debet Novitatus repeti, si professio postea appareat invalida, sufficit enim, quod haec ratificetur, illant de novo emittendo. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 37. ex n. 45.* qui idem tenet, quando Novitatus est nullus, cum etiam per illum adimpleatur finis Legis, & probetur Novitius a Religione, & ipse vicissim Religionem probet: qui ante annum fuit ejectus injustè, postea admittus continuatur, quod anno decet, quia hic non censetur interruptus; *arg. c. 41. de Reg. juri in 6. ibi: Imputari non debet ei, per quem non fiat, si non fiat, quod per eum erat faciendum.* Secus est, si fuit justè ejectus: quia annus verè fuit interruptus, ac proinde de novo debet inchoari. Qui post expletum Novitatum in una Religione ad aliam transit non minus strictam, novum Novitatum habere debet, ut novam probet Religionem, & vicissim ab ipsa probetur: secus est, si ad aliud Monasterium ejusdem ordinis transeat: quippe jam ab ea Religione probatus est. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 12. & 34.* Regularitèr quidem Novitatus in Monasterio Religionis debet fieri. *c. 1. b. t. in 6.* quia hoc ad probationem Novitij spectat, potest tamen Novitius de licentia Superioris, etiam per majorem anni partem extra Monasterium degere: nam ibi sub obedientia, & ex obedientia Praelati existit, & in hac ipsa obedientia, modoque vivendi probatur Novitius. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 14. n. 13. & 14. Gonz. in c. 13. b. t. & alij.* praecipue, si causa aegritudinis creat de licentia Praelati; quin etiam causa recreationis exeat. *Dian. in Sum. V. Novitatus. n. 2.* Deinde *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 15.* requirit probationem per annum post habitum susceptum, & cum gestatio habitus, quando hic est proprius Novitorum, pertineat ad austeritatem vitae, laborem, & difficultatem Religionis, expedit, annum Novitatus in habitu proprio Novitorum peragi. *L. 3. tit. 7. p. 1.* non tamen est de Religionis, seu professionis substantia; ut cum alijs tenent *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 14. ex n. 9. Greg. Lop. in l. 3. tit. 7. p. 1. gloss. fin.* imò olim probatio in habitu Sæculari solebat fieri. *c. 11. D. 53. c. 23. D. 54.* Hodie tamen est necessarium, habitum Religionis deferre, ut in *Trid.* videretur decisum. In nostra tamen Societate, ubi nullus habitus est determinatus, potest utique Novitatus, etiam in veste Sæculari peragi. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 29.* & potest quidem Novitatus adimpleri, etiam nulla fiat probatio: sufficit enim, quod Novitius paratus sit, ut probetur: ac proinde, si

statim ac ingreditur incidat agrotus in lectum, & ita per annum permittat, eo transacto poterit Novitius profiteri. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. c. 14. n. 8. & fin.*

296 Novitius siquidem, quamvis Religiosi non sint, in favorabilibus Religiosorum nomine veniunt, cum Religionis suo modo membra sint, & ipsius Prælatorum subditi, ac proinde pro personis Ecclesiasticis habentur, quippe ad Religiosum statum ordiantur, & privilegio Canonis gaudent. *c. 21. §. Quamvis, de Sent. excom. in 6. & etiam fori privilegio gaudent, ut tenent Hostiens. Joann. And. Navar. in Sum. cap. 12. n. 65. Sarmient. Gutierrez. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 10. ex n. 10. nec vestigalia ex bonis patrimonialibus tenentur solvere: & ab Episcopo Diocesis, in qua est Monasterium, possunt ordinari, nam ibi domicilium habent. Etiam lucrantur Indulgentias, & privilegia Religioni concessa, & Religiosis Prælati cum ipsis dispensant in votis, recitatione horarum, observantia festorum jejuniorum, coque à reservatis absolvent. Et si Prælati exempti sit habet in Novitium jurisdictionem, quasi Episcopalem in utroque foro; quia illam Novitius per habitus susceptionem in se prorogavit, vi cuius potest Prælati sub censuris Novitio præcipere, quæ possent Parochus, vel Episcopus; & Novitius obedire tenetur, & quidem sub gravi, si talis sit materia præcepti. Non tamen tenetur Novitius vi voti obedientiæ subobedire Prælato, sed ratione jurisdictionis, quam habet in ipsum: Nam prælati loco Episcopi, & Parochi substituitur; potest itaque Prælati Novitium punire, & corrigere: item potest aliquos casus Novitiorum in foro conscientie sibi reservare regulariter tamen casus reservati in Religione non ligant, nec comprehendunt Novitios. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 10. ex n. 10. Barbos. & alij.* Valdè congruum rationi, maximeque decens est, Novitios regulas, & præcepta Ordinis servare: alias quomodo ipsi Religionem probabunt, & ab ipsa probabuntur? Quanta enim scandala, & perturbationes in Ordine sequerentur, si Novitij potius contra regulam, quam secundum regulam viverent? *Qui enim similem cum alijs vitam suscipiunt, similem sentiant in Legibus disciplinam. c. 3. de Statu Monachor.* Cum verò votum obedientiæ nondum emisissent ad talem observantiam in rigore, & conscientia non tenentur. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 2. & 18. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 10. n. 7. qui n. 8. ait.* Novitios Societatis,*

qui ex devotione, expleto anno vota emittunt, teneri obedire sub gravi Prælato præcipienti in virtute obedientiæ: quia ad hoc per votum se sponte obligarunt. Quando aliquis beneficiatus Religionem ingreditur non vacat beneficium per ingressum, ut Novitio omnino libertas egrediendi servetur indennis: non enim vacat, donec ipse profiteatur, etiam si tempus Novitatus ex iusta causâ prorogetur. *c. 4. h. t. in 6. in Societate autem non vacat beneficium etiam post vota biennij à beneficiato facta, donec sequatur professio, vel formatio coadjutorum, nisi ut solet, post biennium renuntiatio fiat: interim tamen debet Vicariis assignari ab Ordinario, cum debita pensione, ut beneficium intersit, fructus tamen grossos ipse Novitius lucratur, vel sibi, si egrediat, vel Religioni, si profiteatur, dum Religio sit successione capax. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 4. & cum jus eligendi inter fructus beneficii consideretur, si hoc illius beneficio annexum est, tali jure gaudet Novitius, & ideo si electioni velit interesse, excludi nequit: non tamen debet necessario ad electionem vocari, nisi jure speciali sui beneficii ipsi jus eligendi competeret. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 4. ex n. 10.***

297. Ne igitur libertas egrediendi à quacunque Religione, etiam exempta dum verè, & propriè Religio sit, impediat, in *Trid. Sess. 25. de Regular. cap. 16. statuitur, ut nulla renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, & in favorem cujusquam cause pia valeat, nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarij intra duos menses proximos ante professionem: ac non alias intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiam cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, & nullius effectus: Per hæc tamen Sancta Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum institutum à S. Sede Apostolica approbatum Domino, & ejus Ecclesie inservire possint. Et addit *Barbos. ibid. n. 41.* quod obligationes, & renuntiationes à Novitijs Societatis, quando cumque, & sine cujusvis licentia factæ hujus Decreti nullitati minime subiaceant. Donatio, vel renuntiatio bonorum in Societate facta, juxta ejus Constitutiones, etiam in Societatis favorem, post primum Novitatus annum, vel post biennium, ut communiter fit, est absoluta, & irrevocabilis, nec debet restitui donatum renun-*

tian-

tiant, si dimitatur. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 1. ex n. 34.* debent tamen alimenta dari dimittens, ita ut habeat, unde alatur: quod si nihil ipsi tribuatur potest talis donatio ab hujusmodi dimisso ob ingratitude revocari. *Sanch. ubi supr. n. 39.* In hoc enim *Trid. Decreto* continentur, ac proinde invalidantur omnes contractus lucrativi, & onerosi, in quibus non tantum recipitur, quantum datur. Etiam quacumque obligationes, seu renuntiationes quorumcumque bonorum, non solum quoad jura de presenti, sed etiam in futurum, sive in Monasterij, vel propinquorum, vel alterius tertij favorem fiant. Beneficij renuntiationem in hoc Decreto contineri ob ejus verborum generalitatem, tenent *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 12. Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. n. 37. & alij contra alios.* Non tamen comprehendantur in hoc Decreto, & consequenter valent contractus emptionis, & venditionis, permutacionis, societatis, & alij, in quibus tantum recipitur, quantum datur. Item valent testamenta, codicilli, & donationes causa mortis: quia libere possunt revocari, quin etiam valent elemosynæ, & donationes, etiam ipsi Monasterio à Novitio factæ, si modicæ sint, nam parum pro nihilo reputatur; nec egrediendi nocent libertati. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. n. 13. & 31. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. n. 11. & alij.* Donationes factæ alicui Monasterio ab eo, qui postea talem ingreditur Religionem, non solum si alio respectu, sed etiam si intuitu ingressus, & facta de eo mentione, fiant, cum non sint factæ à Novitio, de quo loquitur *Trident.* non comprehenduntur in ejus Decreto: & ut sic correctio jurium vitetur, & sic contra Navar. & alios tenent plures cum *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. n. 4.* ubi concludit, & in hoc Regio Granatensis Prætorio, hoc anno, licet utrumque agitata, sic pronuntiatum est per sex Regios Judices, nemine eorum discrepante. Et cum Novitatus incipiat à susceptione habitus, donatio facta post ingressum, ante habitus tamen susceptionem valida est, & sæpe ita decilum à *S. Congreg. Concil. præsertim 22. Junij 1613. rescriptum Petra, & alij.* Bimestre enim, intra quod debet fieri renuntiatio ex Constitutione *Trident.* ut sic majori, & maturiori judicio, & deliberatione fiat, computatur de momento ad momentum, & secundum quod occurrit mensis in Calendario: nec est necesse, quod integro bimestri ante professionem fiat renun-

tio, sed sat est toto eo bimestri fieri, quamvis immediatè ante professionem: Imò & valebit donatio, quæ fit à Novitio corrente jam undecimo mense sui Novitatus, etiam si ultra bimestre differatur professio, cum jam Novitius non renuntiet inconsultè. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. ex n. 80.* Cum autem *Trident.* requirat ad donationis valorem, quod sequatur professio, & consequenter dicendum est, quod si hæc ob atatis defectum, vel aliam causam nulla sit, nulla etiam fit donatio. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. n. 55.* Si postea ratificetur professio, ratificatur & donatio: nisi professio fuisset irrita ex defectu atatis, nam tunc non censetur ratificata renuntiatio. Similiter evanescit renuntiatio, si Novitius ante professionem moriatur: censetur enim hæc imbibitam habere conditionem, & videtur talis renuntiatio excludi à *Trid.* dum dicit: *Ac non alias intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione. Sic Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 5. n. 49. Barb. & alij contra Suar.*

298. Novitius igitur, qui bona fide ingressus est Religionem, etiam animo, & proposito mutandi vitam, si ipsi talis Religio non expediens credatur, potest libere, & licitè, nulla allegata causâ, nec Prælati requisita licentia, Religionem deserere, & ad sæculum redire. *c. 23. h. t. c. 1. eod. in 6. l. 3. tit. 7. p. 1. lbi: E si ante del año quisiere de alli salir, puedelo facer.* *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 11. n. 6. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 10. n. 1.* nec tenetur Monasterio expensis in ejus sustentatione factas refundere; *arg. c. 23. h. t. c. 1. eod. in 6. Suar. n. 5. Sanch. n. 4.* Si verò ex promissione, vel voto aliquis ad ingrediendum se obligavit, non potest libere Religionem deserere. *c. 20. c. 23. h. t. c. 2. eod. in 6.* qui quidem Textus fit intelligendi sunt, ut clarè constat ex *L. 3. l. 7. tit. 7. p. 1.* Et sanè potest Novitius, relicta Religione, manere in sæculo, vel ad aliam, etiam laxiorem Religionem transire. Si verò promittet aliquid Religionem in genere ingredi, etiam si in illa, quam est ingressus non teneatur perseverare; non tamen potest in sæculo manere, nec matrimonium contrahere, sed debet ad aliam Religionem pro voti adimplentione transire. *c. 8. l. 7. p. 1. Prælati autem non potest libere, & sine causa Novitium dimittere, cum ex officio teneatur aptos retinere, & ex charitate non exponere eum salutis æternæ periculo. *Gregor. Lop. in l. 3. tit. 7. p. 1. V. A. illos. Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 59. & alij, si Novitius perseverare eli-**

eligat, & inveniatur Religioni aptus profectioem emittit. *Professio quidem late sumpta est contractus sacer, per quem homo fidelis voluntarie se tradit Deo in Religione approbata, quoad certum modum; & institutum vivendi, editis tribus votis castitatis, paupertatis, & obedientie, auctoritate Prælati Regularis interveniente, qui nomine Dei, & Religionis talem traditionem acceptet. c. 16. h. t. l. 2. tit. 7. p. 1. vi hujus professionis fit eam emittens verè, & propriè Religiosus. Sic in nostra Societate Scholastici post vota simplicia biennij sunt verè, & propriè Religiosi: ut est declaratum à Greg. XIII. in Bull. Ascendente. Hinc licet plures Doctores antiquitus tenerent, vota solemnia esse de Religionis essentia: quia eo tempore Ecclesia non acceptabat Religionem nisi cum votis solemnibus. c. 13. h. t. c. 21. §. fin. de Sentent. excom. in 6. Hodie tamen indubitatum est, sufficere vota simplicia ad Religiosum statum. Solemnitas enim votorum ex Ecclesiæ institutione dependet. Sic potest hodie, eam non requirere, sicut olim eam non requirebat in Religiosis SS. Basilij, Augustini, Benedicti, ubi non solemnia, sed tantum simplicia vota edebantur: ac proinde nostræ Societatis institutum, quoad vota simplicia, non est novum, sed primævum in Religione servatum vovendi genus. Sic tenet expressè *Basilij Ponzæ de Leon*, Ordinis Divi Augustini ornamentum nobilissimum. *Lib. 7. de Matr. cap. 22.**

299 Professio tamen strictè accepta professioni hucusque explicata: insuper addit obligationem irrevocabilem ex utraque parte facta per vota solemnia. Professio autem est duplex, alia expressa, tacita alia. Expressa est, quæ fit verbo, scriptura, vel alijs signis voluntatem profitendi declarantibus, juxta cujusque Religionis constitutiones, potestque fieri in Ecclesia, vel extra eam, imò & in lecto: vespere, vel mane, in sanitate, & in infirmitate. c. 13. h. t. etiam in articulo mortis dummodo eam emittens sit compos mentis. c. 15. h. t. junct. Gloss. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 12. n. 24.* Etiam fieri valet per procuratorem, cum speciali tamen mandato; arg. c. 68. de Reg. jur. in 6. hoc tamen in praxi periculosum est. In nostra Societate professio in scriptura, & coram testibus est necessario faciendâ. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 12. ex n. 3.* Imò & de Jure Communi debet in scriptis fieri, saltem ad probationem. c. fin. 20. q. 1. l. 2. tit. 7. p. 1. & ibid. *Greg. Lop. Sanch.*

in Decal. lib. 5. cap. 3. n. 5. Professio autem tacita est, quæ neque verbo, neque scripto fit, sed aliquo actu professorum proprio: v. g. si post annum Novitatus geiserit Novitatus habitum professorum. c. 9. c. 22. h. t. c. 1. eod. in 6. vel si actum professorum proprium exerceat: v. g. ferendo suffragium in Capitulo. c. 4. h. t. dummodo hæc fiant à Novitio legitimam ætatem habente, & non vi, vel metu, sed sponte. c. 4. h. t. quin etiam debet fieri cum vero, & positivo animo profitendi: scire, namque debet, per eum actum professionem induci: & quidem legitimi Prælati consensu, & auctoritate interveniente, vel saltem eo sciente, & patiente. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 3. ex n. 14.* Hujus tacite professionis hodie nullus, vel rarus est usus: non tamen est ablata per Trident. sed tamquam casus omittitur magis dispositione Juris antiqui. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 3. ex n. 36. Gonz. in c. 4. h. t. n. 8.* in Societate autem facta, est talis professionis usus, nisi in casu ratificationis professionis, & votorum simplicium nullitè editorum.

300 Ad valorem ergo professionis requiritur 1. quod eam emittens non sit illius incapax: qualis est, qui haberet impedimentum essentielle. Si vero eam acceptans sciat, profitemem tali impedimento laborare, & potest in eo dispensare, dispensare profecto censetur; arg. l. 2. ff. de Jurisdict. 2. sicut in matrimonio carnali est necessarius contrahentium consensus. c. 14. de Sponsalib. ita in profitemente requiritur animus, & consensus profitemdi. Unde si quis metu gravi, fraude, vel vi ad professionem injute inducatur, professio nulla est: nec enim sufficit voluntas, utcumque, sed sicut in matrimonio, major libertas, & spontaneitas requiritur. c. 4. 20. q. 3. c. 1. de his, que vi. c. 1. c. 15. h. t. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 19. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 4. n. 3.* Quod si Prælatum metu gravi inducatur, professionem acceptate, hæc non est irrita, cum nullum jus talem irritationem inducat, & aliunde de Jure Naturali talis professio valeat. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 4. n. 21.* & alij contra *Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 41. n. 61.* & alior. Quod si professio fuit invalida, etiam ob profitemtis fictionem, & etiam si impedimentum, ob quod est nulla, non possit in foro externo probari, non tenetur sic professus eam ratificare, cum id quod nullum est, nullum producat effectum: & alias non omnino relinquere Novitium in sua libertate, ut de-

debet ob arduitate materia, *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 37. n. 38. & 39.* Cum ergo sic professus sciat, professionem a se factam esse nullam, & de tali nullitate ipsa Religio notitiam habeat, saltem in generali, debet, si eam ratificare vult; novum consensum, impedimento prius ablato, ponere: & similiter Religio debet novam apponere acceptationem, cum illa ratificatio nova professio sit. c. 11. h. t. c. 1. eod. in 6. *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 19. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 7. cap. 1. n. 4. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 37. n. 57. & alij. 3.* requiritur, quod profitemens tria vota substantialia emittat, & quidem in Religione approbata. 4. quod nullam conditionem substantiam Religionis contrariam apponat. Talis esset, si profisteretur eo pacto, ut pro suo arbitratu viveret, vel proprium retineret, vel quid simile: potest tamen fieri professio sub conditione Religionis non contraria, quæ quidem impleta professio erit absolute facta, sicut accidit in matrimonio. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. ex n. 87. 5.* requiritur, quod professio acceptetur expresse, vel tacite à Prælato legitimo. c. 13. c. 16. h. t. nec interest, an sit mediatum, vel immediatum juxta cujusque Religionis Constitutionis, & etiam si sit excommunicatus vitandus, vel suspensus. Etiam potest ab Abbatiâ recipi Monialium professio. c. 4. *Qui Cleric. vel vovent. l. 2. tit. 7. p. 1.* licet potest Prælatum professionem recipere, vel per se, vel per alium. Sic in Societate Provinciales ex generali commissione acceptant vota biennij: vota tamen professorum, vel coadjutorum formatorum solus Generalis, vel ab eo delegatus acceptat. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. ex n. 62. 6.* requiritur, quod profitemens habeat ætatem legitimam, scilicet, 16. annos, & quidem omnino physice completos: nec militia, seu prudentia supplet ætatem, cum hoc non sit depositum in hac materia, sicut est depositum in matrimonio. *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 3. n. 2. & alij com. cum D. Thom. & insuper requiritur annus novitatus, ut supradiximus. In nostra Societate ad professionem quatuor votorum necesse est, quod professus habeat 25. annos completos. Sed jam consuetudo à Generalibus introducta, approbata est, citra novam tamen obligationem, & multo minus necessitatem ad valorem professionis, si secus fiat: ut scilicet expectandus sit 33. annus completus: & præterea decem anni Religionis requiruntur, dempro tempore studiorum: quod si impletur in Societate, in decem annis*

non computatur: ac proinde, qui studia omnia in Societate præterit, non facit professionem ante decimumseptimum annum. Generalis tamen potest dispensare, ut etiam non expleto novitatus biennio, & etiam 25. ætatis annum possit quis ad professionem admitti.

301 Professio equidem profitemem vere Religiosum constituit, eumque obligat perpetuo vinculo ad votorum observationem: quæ quidem obligatio, nec mutuo consensu Religionis, & professi valet dissolvi. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. c. 15. n. 2. & 3.* nec contra eam potest à Religioso præscribi, imò quanto tempore extra vitam religiosam mansit, est majoris transgressionis argumentum. c. 171. h. t. potest tamen, justa causa, & legitima hoc exigente, dissolvi à Pontifice insummodi vinculum: ita ut qui Religiosus erat, postea Religiosus non sit, nec amplius votis teneatur: sicut etiam in votis simplicibus dispensat Pontifex, cum utrobique eadem militet ratio. c. un. de Voto, in 6. dispensat etenim Pontifex etiam in votis solemnibus ob universalem potestatem Divo Petro, & ejus Successoribus à Christo concessam apud *Matth. 16.* ubi dixit: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cælis.* Sic *D. Anton. Cajetan. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 6. cap. 16. & 17. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 8. Greg. Lop. in l. 4. tit. 8. p. 1.* qui dicit, hanc esse communem opinionem Theologorum, & Canonistarum: alijque plures Doctores asserunt contra *Albert. Magnan. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. Abulens. & alios:* & defactò Pontifices dispensarunt in Religionibus Militaribus S. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ, ut possint matrimonium contrahere earum Religiosi. Etiam dispensarunt cum Ramiro Monacho, Sacerdote, & Episcopo; & cum alijs pluries dispensatum est, consequenterque jam non licet de Pontificia potestate in hoc puncto dubitare. Si justa causa desit illicite facit Pontifex dispensando, consequenterque hoc modo non potest dispensare, & sic debet intelligi *Text. in c. 6. de Stat. Monach.* vel potest dici, quod Pontifex nequit cum Monacho in observatione votorum dispensare in sensu conscripto Monachus; quatenus Pontifex nequit facere, quod Religiosus talis manens votis Religionis non obligetur. *L. 2. tit. 7. p. 1. ibi: E nisi sibi allegadas estas cosas (id est, los votos) al que toma la orden; que el Papa non puede dispensar con él; que las non guarda; & ibid. Greg. Lop.* quod est idem ac dici-

tur in c. 6. de Statu Monachorum, ibi: Quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regule Monachali, ut contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Deinde nec per Episcopatum dissolvitur Religionis vinculum, sed tribus votis adstrictus adhuc manet Religiosus, etiam Episcopus factus: quamvis in pluribus eius obligatio varietur: siquidem ipse jam non suae Religioni, sed suae Ecclesiae acquiritur. c. 18. q. 1. nec Praelatis Regularibus, utpotè in altiori gradu constitutus, obedire tenetur, sed Romano Pontifici: deseret tamen Religionis habitum cum ceteris insignibus Episcopalibus. L. 26. tit. 7. p. 1. quod si renuntiat Dignitati simul, & gradui ad Monasterium redire, & ut prius Praelatis obedire tenetur. Si Religiosus fiat Parochus Ecclesiae Sæcularis tenetur habitum deserere, castitatem ex voto servare, & non habere proprium: & si Ecclesia est totaliter Monasterio subiecta tenetur suis Praelatis obedire, eisque rationem reddere. Si tamen Ecclesia est subiecta in spiritualibus Episcopo, ipsi Parochus Religiosus obedire debet, eisque rationem reddere: & Horas Canonicas secundum Episcopatus consuetudinem, dicet, & recitabit: sed sive Episcopo, sive Abbati talis Parochus subiectus sit, eximitur à jeunijs, silentio, & vigilijs per regulam indicis. c. 2. 16. q. 1. l. 26. tit. 7. p. 1. & ibid. Greg. Lop. IV. Tres cosas. Deinde: professio tollit irregularitatem ex defectu natalium ortam, quoad Ordines, & beneficia, secus quoad Praelaturas. Etiam extinguit omnia vota, & iuramenta pia, quae non sunt facta in favorem tertij. c. 4. de Voto. Professio item dirimit matrimonium contrahendum, & dissolvit, etiam quoad vinculum jam contractum, dummodo tantum ratum sit. c. 2. e. 7. c. 14. de Convers. conjugat. quod si post matrimonium consummatum conjux in casu permisso Religionem ingreditur, inducit divortium inter professum, & conjugem in saeculo relictam. c. 19. b. t. non tamen vinculum solvit. Si Religiosus, quando proficitur in gratia sit, plenam peccatorum, quoad poenam, consequitur remissionem; arg. c. 78. §. His auctoritatibus, de Penit. D. 1. Et quoad hunc effectum vocatur professio secundum baptismum à D. Hieronymo. D. Bernard. & alij: quae quidem remissio non fit per indulgentiam plenariam concessam à Pontifice: sed professio ipsa hac virtute condonandi poenas potitur ex vi, & merito ipsius operis excellentissimi, quod excedit quam-

cumque satisfactionem peccatis debitam. Sic ex D. Bernardo, D. Thoma, & alij asserunt Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 5. ex n. 1. & idem affectus obtinetur per vota simplicia biennij in Societate. 302 Plures equidem incipiunt adificare, qui secundum fragilitatem humanam adificium, vel opus inceptum perficere, & consummare non valent: quin, & D. Hieronymo teste, coepisse multorum est, paucorum autem ad culmen pervenisse. Solet profecto accidere, quod aliqui manum mittunt ad Religionis aratum, & postea retrò respicientes Religionem deserant. Quatuor igitur modis deseritur Religio. 1. reclamando contra valorem professionis. 2. voluntarie deseritur per transitum ad aliam Religionem. 3. necessario, per expulsionem. 4. sacrilegè, per apostasiam. Et quidem 1. quilibet Religiosus, qui suam professionem nullam dicere intendit, vel quia per vim, & metum dicat, se Religionem ingressum, vel ante aetatem legitimam fuisse professum, vel quid simile: & velit habitum dimittere, religionemque deserere, potest ex *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 19.* adversus suam professionem coram suo Superiore Regulari immediato, & simul coram Ordinario, hoc est, Episcopo, in cujus Dialecto est situm Monasterium, vel ejus Vicario Generali, reclamare intra quinquennium, numerandum à die professionis, & etiam ultra quinquennium reclamare valet, si legitima causa subsit: v. gr. quia professus ignoravit suae professionis nullitatem, vel alio justo impedimento obstanti, non potuit reclamare: cum legitime impedito tempus non curat. c. 5. de *Conces. praebend. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 7. cap. 4. n. 6. Machad. in Sum. lib. 4. p. 7. tr. 3. & alij contra Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 37. n. 19. Rodrig. & alios.* Quod si antea talis professus habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium cogatur redire, & tamquam apostata puniatur: interim verò nullo privilegio suae Religionis juvetur. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 19.* Si verò sciens suae professionis nullitatem, eam ratificavit, reclamare amplius non potest. Si autem intra quinquennium non ratificavit professionem, non tenetur postea eam ratificare, nec perseverare in Religione, sed poterit secluso scandalo occultè Religionem deserere, poteritque matrimonium contrahere: imò, & Praelatus, qui de nullitate conscius est, potest hoc ei permittere.

re. *Machad. in Sum. lib. 4. p. 7. tr. 3. Sanch. & alij.* Religionem etiam posse reclamare contra invalide professum declaratum testatur *Sagnan. in c. 1. b. t.* Et novissimè id statuit Benedict. XIV. in *Cont. Si datam.* An. 1748. ubi de ceteris varijs questionibus, accuratè prescribit formam servandam in definienda nullitate professionis, quae debet fieri ordine juris servato, maximeque maturitate, citatis & auditis Monasterij defensoribus sub poena nullitatis. Eodemque modo esse procedendum declarat, si Monialis adversus suam professionem reclamat. * 303 Aliquando, etiam licitè deseritur Religio, per *transitum* scilicet ad aliam Religionem. In Concilio enim Tridentino in c. 1. 20. q. 4. & postea in c. 18. b. t. concessum fuit, quod Religiosus de una ad aliam Religionem transire possit, si zelo sanctioris vitae, non ex inordinata passione, vellet ad strictiorem Religionem, secundum statum praesentem transire, petita, quidem prius licentia sui Praelati, vel immediati, vel mediati, juxta cuiusque Religionis constitutiones: qui licentiam, si justa causa allegetur, profecto concedere debet, ne propositum Divinitus inspiratum videatur impedire: & tunc dimissorias ad Praelatum alterius Religionis concedet: quod si Praelatus injustè licentiam neget, non obstante proterva, & indiscreta ejus contradictione, poterit Religiosus ad aliam Religionem liberè transire. c. 18. b. t. l. 9. tit. 7. p. 1. à Religione verò strictiori ad laxiorem non potest transire, essetque professio nulla. c. 10. b. t. nisi à Pontifice dispensaretur. *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 19.* ad aequalem verò potest quis transire, de consensu tamen Abbatis. L. 10. tit. 7. p. 1. Si Religiosus defecto transeat ad Religionem strictiorem, non censetur Apostata, nec excommunicationem incurrit, etsi licentia non praecessisset: restituendus tamen est priori Praelato, donec cognoscatur, an Religio, ad quam vult transire, sit strictior, vel non. c. 5. e. 7. b. t. *Genz. in c. 18. b. t. n. 6.* ubi notat, quod non requiritur, quod nova Religio sit perfectior, sed sat est, si strictior sit. Imò, & si transeat ad Religionem laxiorem sine legitima licentia, non est Apostata: siquidem non simpliciter à vitæ Religiose, sed à certæ Religionis instituto: talis Religiosus recedit: peccat tamen graviter, & sub Judice est, an excommunicationem incurrat. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 8. n. 8. Gomez. in c. fin. de Apostat. n. 4. & alij contra Suar. de Cens. D. 31. sess. 6. n. 4.* Regularis autem Mendicans non potest, nec licitè, nec valide ad

Ordinem Monasticum, praeter Carthusianorum transire: & nullitè, si transiret, proficeretur. *Extr. un. b. t. int. com. Item:* nullus è Societate potest sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, transire ad Carthusiam, nisi petita, & obtenta licentia à Generali, & de ejus licentia potest etiam professus transire ad quemlibet Ordinem Mendicantium, vel non Mendicantium. Qui verò non petita licentia à suo Praelato, vel etiam petita, sed justè negata, ad aliam Religionem, etiam strictiorem transire, non solum illicitè: sed etiam invalide in ea professionem emitteret: quia tunc non videtur à Jure concessa licentia, cum non censetur, talem Religiosum ad frugem melioris vitae transigrare velle. c. 18. b. t. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 7. ex n. 88. & alij contra aliquos apud eundem.* Et quidem ex die, quo quis Novitium nova Religionis ingreditur, secuta postea professione, ei acquirit, si aliquid acquirit: nam cum nova Religio sentiat onus cum alendi, consequens, & justum est, quod acquisitionis commodum sentiat. Ex L. 10. ff. de *Reg. jur. Zabarel. in c. 1. b. t. & alij contra Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 32. ex n. 8.* 304 3. Solet Religio, aliquando necessario deseri, quando scilicet Religiosus ab ea expellitur, & ejicitur. Siquidem ex *Div. vo Hieronymo in c. 16. 24. q. 3. Rescandae sunt putridae carnes, & scabiosae ovis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, patrescant, intendant: Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est totum Orbem ejus flamma populata est.* Ideò Religiosus si incorrigibilis, & intolerabilis, pernitiosusque Religioni sit, etiam invitus potest, & debet, non obstante professione, quantumvis solemnè, à Religione expelli. c. 10. de *Majorit. & obed. t. fin. de Statu Monach. c. 7. Ne Cleric. vel Monach. Et quidem olim Religiosi liberi à suis Praelatis dimittebantur, relaxatis scilicet Religionis votis, ut probat *Ponze de Matr. lib. 7. cap. 12.* varia testimonia SS. *August. Greg. Basil. & Bened.* referens. Facit, quoad talem expulsionem optima ratio quam assert *Ovid. Metam. lib. 1. Cuncta prius tentanda, sed inmedicabile vulnus esse recidendum est, ne pars sincera trahatur.* Hodie Religiosus incorrigibilis tantum censetur, si per annum jejunio, & poenitentia in carcere probatus non respicitur. Ex Decreto *Congreg. Cardin. Justi Urbani VIII.* apud *Barb. in c. fin. b. t. n. fin.* ubi ad litteram Decretum refert. Moniales tamen ob majus periculum scandali, & sexus fragili-*

gilitatem non sunt expellendæ inconstituta Romano Pontifice; *arg. c. 11. c. 17. 27. q. 1. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. n. 6.* Sic tamen ejectus, Religiosus manet, & consequenter tribus votis substantialibus Religionis ligatus perseverat: non tamen jejunijs, vigilijs, obligatione horarum, & alijs Regulis Ordinis. Nec item ad quartum Votum Ordinis proprium, si quod habet, tenetur: si quidem talia solum viventes sub Regula obligant, tenetur tamen habitum deferre, nisi ut regulariter accidit, eo spoliatur. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. ex n. 24.* Hinc si ejecti contrahant matrimonium, hoc erit nullum ob solemnem votum castitatis, & puniuntur ab Inquisitoribus. *Gonz. in c. fin. h. n. 7.* Qui verò e Societate post vota simplicia dimittuntur, possunt matrimonium, si in sacris non sint constituti, valide, & licite contrahere. Non tamen erit liber à votis, quin, & pro apostata habetur, & apostatarum pœnis subiacet ille Societatis Religiosus, qui pravis moribus de industria dimissionem extorsit, vel falsis allegationibus obtinuit. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 7. ex n. 60.* Prælati autem potest talem ejectum, utpotè suum subditum ratione votorum censuris, & alijs pœnis ad redeundum cogere. *c. fin. b. t.* & ipse in conscientia tenetur se corrigere, ut dignus redire inveniat. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. n. 25.* & potest utique Religio cum, si plene respiciat, nec aliquod timeatur inconveniens, rursus admittere; *arg. c. 16. b. t.* nec tunc nova professione hujusmodi ejectus indiget. Non tamen tenetur Religio justè dimissum, etiam emendatum, de novo admittere: quia talis justa sententia ex parte Religionis in perpetuum ejectus est: sicut innocens non tenetur adulterum, etiam emendatum, admittere. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. n. 32. Rodrig. Azor. & alij contra Navar. Molin. & alios.* Quod si jam nulla spes reditus sit ejecto, potest hic, vel in sæculo manere, vel aliam Religionem ingredi, etiam invito antiquo Superiore. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 9. ex n. 34.* Ex motu proprio. *Greg. XIII. in Const. officij nostri 21. Jan. An. 1577.* bona ab ejectis acquisita ad Cameram Apostolicam pertinent.

305 Denique per Apostasiam deseritur Religio. Religiosus enim aliquando fugitivus: aliquando apostata efficitur. Fugitivus est ille, qui sine Superioris licentia à Religione recedit, sive habitu retento, sive dimisso, vel ita alio cooperto, ut exterius non appareat, sed animo quidem tantum vagandi, non verò Religionem deserendi: & in hoc differt ab Apostata;

quippè talis est, qui recedit à Religione habitu dimisso, vel etiam retento, animo tamen excutiendi omnino jugum Religionis, & nunquam ad ipsam redeundi. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 8. num. 2. Apostata sicutem à Religione est, qui postquam in aliqua Religione verè tali, & approbata, emisit tria vota substantialia, non tantum causa devotionis, ut solet fieri à Novitijs, sed ea, quæ verè Religiosum ea emittentem constituunt, licet simplicia sint, ut post biennium in Societate fiunt, sine Superioris licentia recedit à Religione, verè, & proprie, non animo tantum, sed opere secuto, sine proposito redeundi, vel cum proposito non redeundi, sive dimisso, sive retento habitu talis recessus fiat; nam sicut habitus non facit Monachum. c. 13. b. t. ita nec ejus intentio ab Apostasia excusat. Gonz. in c. fin. de Apostat. n. 4. Sanch. & alij eom. Qui diutius v. g. per tres, vel quatuor annos extra Religionem vagatur, pro Apostata habetur, donec probet, se animum habuisse redeundi. Beatae Tertij Ordinis S. Dominici, & S. Francisci, si ab eo statu, etiam post tria vota emissã, in perpetuum recedant, matrimonioque copulerint, non sunt verè Apostatæ. Præterea, fugitivus censetur à Trid. sess. 25. de Regul. cap. 4. Ille, qui recedit à Monasterio sine Superioris licentia, etiam prætextu adeundi Superiorem mediatum, si ab ipso non vocetur; adeò, ut etiam Religiosus perpetuò ad carcerem, vel trirēmes justè damnatus non possit à carcere, vel trirēmbus fugere, ut se Superiori præsentet; nisi hoc faciat, ut poenam mortis effugiat; nam tunc certè licitum est à carcere fugere: quod si iniquè ab immediatis Superioribus tractetur, & aliud remedium non habeat, potest Superiorem mediatum adire. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 8. ex n. 1.* Religiosus, qui ad Urbem rectò tramite accedit, & ibi Secretario S. Congreg. se præsentat, etiam sine Superioris licentia, ut à gravaminibus sibi à suis Prælati illatis conqueratur, non est Apostata: Si tamen temerè, vel levitèr ad Curiam accederet, ad suos Superiores puniendus deberet mitti. Variæ enim adversus Apostatas poenæ insignantur in Jure, de quibus in tit. de Apostatis. Contra fugitivos quæ tales nullæ sunt Jura Communi statutæ poenæ. Ut contra aliquos tenent *Suar. de Relig. tom. 4. lib. 3. cap. 1. n. 10. Navar. & alij*, potest tamen, & debet Prælati Regularis non solum Apostatas, sed, & fugitivos capere, ob ipsorum spiritualem salutem. *c. fin. b. t.* Et quidem eos ap-*

pre-

prehendere valet, non solum in territorio proprio, sed etiam in alieno: quia vi obedientiæ adeò personalitèr subduntur Prælati, ut ubicumque inveniuntur hujusmodi Religiosi, possint apprehendi ut accidit in servis. *L. 2. l. 3. C. de Servi. fugitivo.*

306 Hucusque locuti sumus de his, quæ Jure Communi, & aliquibus Constitutionibus Pontificijs statutum est circa Religiosos. Sed cum in singulis Religionibus, variæ Constitutiones, & privilegia uniuersusque propria reperiantur, hæc ante omnia pro resolutione casuum occurrentium examinari debent. Et hæc ratione in gratiam Missionariorum Indiarum placuit hic inserere casuum quosdam. Pontificibus nostræ Societati pro his Indiarum partibus concessa in celebri Constitutione Animarum salutis, cujus tenor talis est.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

A Nimarum salutis paterna charitate intenti, supplicationibus dilecti filij Michaelis Angeli Tamburini, Societatis Jesu Præpositi Generali nomine, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac multorum predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigijs inhaerentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate consisti: Omnibus Christianis fidelibus in quibuscumque Oceani Indijs, aut Sinarum Regione, vel Brasilia constitutis presentibus, & futuris, verè penitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, quoties aliquem ex infidelitate, & idolatria ad veri Dei cognitionem reduxerint, plenariam, necnon eisdem etiam verè penitentibus, & confessis, S. Thomæ Apostoli in Indijs præfatis, vel aliquam ex certis dilectorum filiorum Presbyterorum Societ. Jesu Ecclesijs illarum partium Deo, vel in honorem Sanctorum erectis: necnon omnes, & singulas hujusmodi Ecclesias, Collegiorum, Domorum, & Residentiarum ejusdem Societatis Regionum præfatarum, saltem inter se, per centum milliaria distantes, ut supra erectas, singulis annis quatuor diebus Fests Domini nostri, B. Mariæ Virginis, aut Sanctorum per dicta Societatis Præpositum Generalem designandis, visitantibus, & inibi SS. Eucharistia Sacramentum sumentibus, & pro Gentilium, & Hæreticorum conversione pias ad Deum preces fundentibus, etiam plenariam;

Tom. I.

Omnibus etiam, & singulis, tam Presbyteris, quam alijs de dicta Societate existentibus, quos in qualibet utriusque India Regione, vel Oceani Insula, aut navigatione pro Fidei negotio cundo, vel redeundo mori contigerit, in cujuslibet eorum mortis articulo, saltem contritis, & confessis, si communicare nequiverint; plenariam pariter Scholaribus verò in utraque India existentibus, ac confraternitati B. Mariæ Virginis ibi Canonice instituta adscriptis, quæ in Annuntiationis, & Assumptionis ipsius B. Mariæ Virginis Fests dictum SS. Eucharistia Sacramentum sumpserint, & Coronam, vel tertiam partem Rosarij recitaverint, necnon utriusque sexus Christianis fidelibus aliquam ex confraternitatibus canonice erigendis ingressis, qui in Festivitate SS. Corporis Christi, & illius Octava penitentibus similitèr, & confessis, idem SS. Eucharistia Sacramentum sumpserint, & in cujuslibet eorum utriusque sexus Christianis fidelibus mortis articulo, etiam penitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, aut saltem contritis, si confiteri, & communicare non potuerint, plenariam similitèr omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditèr in Domino concedimus. Insuper dictis Scholaribus hujusmodi confraternitati adscriptis, qui in singulis ejusdem B. Mariæ Virginis, ac Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini nostri Jesu-Christi Festivitatibus, si confessi, & contriti præmissa peregerint, decem annorum de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitæ penitentij. Eis quoque, qui in singulis diebus Veneris cujuslibet Quadragesimæ devotè Processionibus publicis in partibus, & locis transmarinis ad orandum pro conversione Gentilium, & Hæreticorum præfatarum, juxta Ritum Ecclesie Romane institutis interfuerint, trium annorum: Reliquis verò omnibus eisdem Processionibus presentibus contritis, & confessis unius anni indulgentiam largimur. Quodque pro animabus eorum Christianis fidelium, qui in præfatis utriusque India navigationibus pro negotio fidei instituentis, ab humanis in charitate Christo conjuncti decesserint, confessi, ac Sacra Communione refecti, tertiam partem Rosarij, aut unam Coronam recitaverint, quoties id agent, toties per modum suffragij unam ex dictorum animabus à pœnis Purgatorij liberare valeant. Quodque Scholares utriusque India hujusmodi, qui in Scholis Presbyterorum dicta Societatis dant operam literis in Presbyterorum eorumdem Ecclesij Missas, vel alia Divina Officia tempore interdicti, & cessationis à Divinis, ipsique Presbyteri eis,

Ecce 2

dem

olio prætextu, vel quovis colore per quoscumque libri Ordinarios, seu alios Superiores, & iudices Ecclesiasticos, & Seculares quavis autoritate fungentes, molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posse. Sicque in præmissis per quoscumque Iudices, sublatæ eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, iudicari, & definiti debere: ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Presentibus ad viginti annos à fine aliorum viginti annorum, ad quos similes gratiæ a sel. rec. Clemente PP. XI. prædecessore nostro concessæ fuerunt inchoandos, tantum valiturus. Volumus autem ut ipsorum presentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici, vel Secretarij dictæ Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubicumque locorum habeatur, qua haberetur ejisdem presentibus, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 12. Decembris M. DC. XX. Pontificatus nostri anno sexto. Deinde Clem. XI. in Brevi. Alias pro parte 11. Jun. 1701. declaravit, appellatione Neophytorum non comprehendit illos, qui ab Indis pro una dumtaxat parte originem trahunt, quos quarterones dicimus: multoque minus qui octavam partem per proavum, vel proaviam, sive ab alterutro, sive ab utroque habent, quos Puchuales nuncupamus. Et addit: Necnon absidem Presbyteris, & Ordinariis servatis locorum circumstantiis, & limitationibus hujusmodi cum ejisdem Neophytis in primo gradu, etiam recte linea affinitatis ex copula illicita resultantis se attinentibus, ut matrimonium quoque inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contractio remanere similiter valent, in occultis tamen, & in foro conscientie tantum, ac urgentibus justis causis, gratis etiam dispensandi, & eos, qui in primo affinitatis gradu hujusmodi, etiam scienter contraxerint, ab excessibus, & excommunicationis, aliisque censuris, ac penis Ecclesiasticis in foro conscientie tantum gratis similiter absolvendis: Dicitque Ordinariis alios Presbyteros idoneos, ab ipsis prius approbatos, in locis, ubi non adsint Misio-

narij similem facultatem habentes, quoad præmissa in sui locum subdelegandi licentiam, & facultatem autoritate Apostolica, tenore presentium concedimus, & impartimur. Etiam declarat, quod in illis verbis: Vel alias conjunctis, comprehenditur facultas dispensandi in cognatione spiritali.

T I T XXXII.

De Conversione conjugatorum.

307 **C**onversio conjugatorum in presenti, est ingressus alioquin conjugati in Religionem. Si enim matrimonium sit ratum tantum, hoc est, non consummatum copula perfecta, vel quia alter non petijt debitum, vel quia alter negavit, sive iuste intra bimestre, sive etiam injuste extra illud, potest qui libet ex eis, etiam bimestri elapso, Religionem ingredi. c. 2. G. Ex publico 7. c. 14. b. t. Trid. sess. 24. de Matr. Can. 6. L. 13. tit. 7. p. 1. ubi mulieri post diu contractum matrimonium, non tamen consummatum, ingredi Religionem conceditur. D. Bonae. in 4. D. 27. art. 3. q. 2. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 27. & alij com. Ratio enim hujus permissionis est, quia in matrimonio rato, in favore matrimonij spiritalis, quod per professionem contrahitur, subintelligitur hæc conditio: *Et si conjux Religionem profiteatur*. Professio namque Religiosa, ob sui excellentiam, habet vim dissolvendam matrimonium ratum, & plures ex Divina revelatione hoc jure usos fuisse, constat ex c. 2. b. t. & ibid. Gonz. n. 6. ac proinde hanc matrimonij solutionem, non tam humana, quam Divina autoritate fieri, probari videtur. Ex c. 2. c. 14. b. t. & ita tenent Scot. Abulenf. Sot. Gonz. in c. 2. b. t. n. 7. in fin. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 19. ubi plures citat Doctores variè sentientes. Ad hujusmodi ingressum faciendum bimestre assignatur à Jure. c. 7. b. t. Hic tamen terminus potest prorogari, vel etiam restringi à Judice. L. 13. tit. 7. p. 1. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 12. Ponce de Matr. lib. 9. cap. 9. n. 8. & 9. intra talem terminum potest conjux deliberare, an posthabito matrimonio, Religionem ingredi velit. Et idcirco intra illum non tenetur matrimonium consummare, nec debitum reddere: etiam si non habeat animum ingrediendi Religionem: nam suo utitur jure, & potest fortalite mutare propositum, & Religionem ingredi. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 25. Ponce de

de Matr. lib. 9. cap. 9. n. 7. & alij contra Navar. & alios. Hoc quidem bimestre computandum est à die contracti matrimonij: quod si Juxd certum terminum præscribat, ab eo tempore, quo assignavit terminum, mensis computantur, & quidem eo modo, quo in Calendario occurrant, & de momento ad momentum. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 21. Ponce de Matr. lib. 9. cap. 7. & alij contra Barbof. in c. 7. b. t. n. 9. Si intra bimestre conjux Religionem eligat, eam potest ingredi, ut per annum novitiatus probet, an velit, vel non profiteri; arg. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15. ac per consequens bimestre tantum datur ad deliberandum. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 40. Professione tamen emissa in effectu, & non antea, in aliqua Religione approbata, etiam Militari, dum verè Religio sit, qualis est Melitensis, dissolvitur matrimonium ratum, etiam quoad vinculum, & conjux in saculo relictus, potest post alterius professionem, & non antea, novum contrahere matrimonium. c. 2. 14. b. t. Trid. sess. 24. de Matr. Can. 6. Gonz. in c. 2. b. t. & alij con. & licet vota simplicia Societatis post biennium emissa constituant verè, & propriè Religiosum, ea emittentem, cum tamen non inducant professionem solemnem, cuius matrimonium ratum deridendi concessa est, & aliunde nullo privilegio hujusmodi habeant vim, dicendum est, quod matrimonium ratum non dirimunt. Ita Suar. Vazq. Enriq. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 18. n. 6. Gonz. in c. 2. b. t. n. 6. & alij contra Ponce de Matr. lib. 9. cap. 6. Quod si post bimestre, vel tempus à Judice assignatum mulier sit cognita à conjuge, etiam per vim, cum hic suo jure utatur, nec ipse peccat, nec jam amplius foemina conceditur transitus ad Religionem, quippe jam matrimonium definit esse tantum ratum per talem consummationem. c. 13. b. t. quod à fortiori locum habet, quando copula per metum, etiam gravem, fuit extorta. Sic Ponce de Matr. lib. 9. c. 10. & alij contra Sanch. de Matr. lib. 2. D. 22. n. 6. Greg. Lop. & alios, qui insuper valde probabiliter tenent, foeminam per vim præciam intra bimestre cognitam, posse Religionem ingredi, ne jure suo, sine suo consensu per alterius injuriam privetur: ac proinde dicunt, virum illam per vim cognoscentem peccare: quia aufert corporis foemine integritatem, ad quod non habet jus intra bimestre. Contrarium tamen tenent. Sylv. Covarr. & Ponce de Matr. lib. 9. cap. 10. n. 3.

308 Licet consummato matrimonio de Jure Civili adhuc liberum esset conjugibus ad Religionem convolare: de Jure tamen Canonico, quod proculdubio in hac materia servandum est, non licet conjugi post talem consummationem, invita parte ad Religionem transire. c. 1. b. t. quod sane provenit ex reciproca potestate, quam conjux in alterum conjugem habet, & ideo nequit altero renuente mutare statum, nec ipsum jure per matrimonij consummationem quaesito private: nam ut ait Apostolus 1. ad Cor. 7. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: quæ quidem reciproca potestas præcipue datur conjugibus per commixtionem corporalem: nam tunc fiunt una caro, & inde nullus potest Deo offerre corpus, quod jam non est suum. Ut deducitur ex c. 2. b. t. Præterea, matrimonium ratum significat charitatem, quæ inter Deum, & animam justam intercedit: consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia per humanitatis assumptionem. c. 5. de Bigam. ideo matrimonium ratum dissolvitur per Religionis ingressum: secus consummatum: sicut illa unio per charitatem solubilis est: secus unio per incarnationem. Gonz. in c. 2. b. t. Tribus nihilominus casibus potest conjux post consummationem matrimonij Religionem ingredi. 1. Si aliter committat adulterium, cum enim jus petendi debitum perpetuo amittat, nisi innocenti reconcilietur, potest innocens adultero invito Religionem ingredi. c. 21. 27. q. 2. c. 15. b. t. L. 11. tit. 7. p. 1. 2. Si alter in hæresim, vel apostasiam incidat, & monitus in errore persistat. Tunc potest innocens ingredi Religionem. c. fin. b. t. L. 13. tit. 7. p. 1. 3. & præcipue si ambo conjuges mutuo consensu Religionem ingrediatur: vel saltem unus consentiat, quod alter fiat Religiosus: Sed tunc conjux relictus, si juvenis, & suspectus de incontinentia sit, debet etiam Religionem ingredi. c. 21. 27. q. 2. c. 1. c. 13. b. t. L. 40. tit. 6. p. 1. L. 11. tit. 7. p. 1. Si tamen conjux relictus senex, & de incontinentia non sit suspectus, sat esse, quod votum simplex continentie emitat, c. 4. c. 9. c. 18. b. t. Quod si senex de incontinentia suspectus sit, ingredi Religionem prorsus debet: & idem est de juvene, quantumvis honestæ vitæ sit, & in periculum absit incontinentie. c. 1. b. t. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 32. ex n. 9. & hodie in praxi servatur, quod ad talem mutationem licentia Episcopii accedat. c. 23. 27. q. 2.